Gnesnen. Decimarum.

1 **Rev. Pater.** QUÆ inutili labore congeruntur in *contraria Informatione*, impedimento esse non possunt, quin Rmi PP. Commissionem nostram signare debeant cum Rescripto = *Circumscripta Sententia Archidiaconi Livoniæ*, *&* *subministratis scutis centum*, *ad Rotam ex integro à Sententia Sacræ Nunciaturæ* =; quia quamvis Delegatus Principis regulariter facultatem habeat subdelegandi juxtà principium, quod plùs debito exornat *contraria Informatio* §. 15., nihilominùs quidquid certent *Doctores* super quæstione illa, An, & quibus ex verbis censeatur electa industria personæ in hoc communiter conveniunt, quod Delegatus, quoties ex tenore delegationis colligitur, *electam* esse à Principe *industriam Personæ*, aut cognitionem Causæ *personaliter* esse demandatam, potestate careat alium Judicem in sui locum subrogandi, nisi in Litteris Commissionis sibi detur *expressa* facultas subdelegandi alium, itaut si id faciat, *Acta* à Subdelegato, seu Judice subrogato *sint ipso jure nulla ex defectu jurisdictionis*.

2 Apertissimi sunt *Textus in cap. Fin. de offic.*, *&* *potest. Jud. Delegat.*, *&* *in cap. Is cui* 12. *eod. tit. in* 6. ibi = *Quia circa eligendam personam INDUSTRIA TUNC VIDETUR ELECTA*, *provisionem sibi commissam*, *ALTERI DEMANDARE NON POTEST*, *nisi forma commissionis habeat*, *ut per se*, *vel per alium id valeat expedire* =, *&* *in cap. Hac constitutione* 15. *eod. cit. in* 6. ibi = *VICES QUOQUE SUAS* (*citationibus*, *sententiarum denunciationibus duntaxat exceptis*, *quas alios valeant exercere*) *NULLI ALII COMMITTERE POSSINT*, *nisi hoc eis competierit ex beneficio litterarum* =, & observant omnes *Repetentes* ibidem, & *Francisc. Leo in Thesaur. for. Eccles. part.* 1. *cap.* 15. *num.* 49., *&* *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 16., *Jason. in Leg. Nulli num.* 12. *vers.* 5. *limita Cod. de Episc.*, *&* *Cleric.*, *Barbos. tract. var. clausul.* 24. *num.* 8. ibi = *Delegatus cum hac clausula NON POTEST SUBDELEGARE*, *quia videtur electa industria personæ &c.* =, *Passerin. in cit. cap. Is cui num.* 10. *de Offic.*, *&* *potest. Jud. delelegat.* ibi = *Ubi tamen constat*, *ELECTAM PERSONÆ INDUSTRIAM*, *Delegatus NON POTEST SUBDELEGARE*, *&* *si id faciat*, *Acta per subdelegatum SUNT IPSO JURE NULLA EX DEFECTU JURISDICTIONIS*, *ut notant Gloss.* = *&c.*, & post materiam benè discussam pro certo statuit modernus *Rigant. ad reg.* 48. *Cancell. num.* 16. *tom.* 3. ibi, = *In hac quæstione CERTUM EST*, *quod ubi constat*, *electam esse industriam Personæ*, *DELEGATUS ETIAM A PRINCIPE SUBDELEGARE NON POTEST*, *cap. Fin. de Offic.*

A de-

deleg., *cap. Is*, *cui eod. tit. in 6.* =, & pluribus relatis *Sperell. part.*2. *decis.*106 *num.*48. ibi = *Et est regulare*, *quod ubi expressè vel TACITE est electa industria personæ*, *SUBDELEGATIO FIERI MINIME' POSSIT*, *ut per Doctores COMMUNITER in Leg. A judiciis &c.* =

3 Nemo autem dubitare potest, quin ex latè deductis in *nostra Informatione* §. 10., *& seqq.* ad evidentiam probatum remaneat, electam fuisse, ac semper censeri Personæ industriam, cognitionemque Gausæ *personaliter* fuisse commissam Judicibus nominatim expressis in Brevi Apostolico, de quo *Summario num.* 7., *& contrario Summario num.*3., eo ipso quod in dicto Brevi Commissionis nedùm cognitio Causæ demandata apparet discretioni ipsorum Delegatorum per verba illa = *discretioni vestræ per præsentes committimus*, *& mandamus* = sed etiam Papa juxta solitum stylum committit Causam, & Causas *per ipsosmet* Delegatos, vel eorum alterum *cognoscendam*, *decidendam*, & *fine debito terminandam* verbis illis omnimodam *personalitatem* indicantibus, ibi = *Quatenùs* VOS *duo*, *aut unus* VESTRUM *&c. Causam*, *& Causas præfatas* COGNOSCATIS, DECIDATIS, FINEQUE DEBITO TERMINETIS =

4 Quidquid autem sit, nùm ex iis dumtaxat verbis = *discretioni vestræ mandamus* = conjici posset volitam electionem industriæ Personæ, quæ impediret subdelegationem, aliis *negativam*, alii *affirmativam* Sententiam sectantibus, quidquid etiam sit, num, si in Brevi Commissionis adessent alia dumtaxat verba = *conscientiam vestram oneramus* =, ex istis dici posset pariter electa industria Personæ, in quibus terminis inter se æquè non conveniunt *Doctores*; Certum tamen, ac indubitatum est, quod, si in Litteris Delegationis non adsit dumtaxat una, aut altera ex præfatis clausulis, sed legantur quoquæ alia verba, omnimodam *personalitatem* denotantia *procedat*, seu *procedant pro se*, quibus in substantia æquivalent verba = VOS, *duo*, *aut unus* VESTRUM Causam COGNOSCATIS, DECIDATIS, *finequa debito* TERMINETIS =, in hoc casu censeatur electa Personæ, seu Personarum industria, & per consequens adempta Judici, seu Judicibus deputatis subdelegandi facultas.

5 Ita enim reprobando opinionem *Garc. de Benefic. part.*6. *cap.*2. *num.*104. cum nonnullis exadverso allegat. tradunt communiter *Paul. Ariun. in Leg.* 1. *num.*47. *ff. de offic. ejus*, *cui mand. jurisd. Menoch. de Præsumpt. lib.*2. *præsumpt.*21. *n.*8., *Abbas in cap. Fin. num.*1., *& 6. de offic.*, *& potest Jud. Deleg.*, *Felin. ibid. num.*3., *Barbos.* pariter *ibid. num.*8., *Pax Jordan. lucubrat. Eccles. lib.*3. *tit.*6. *num.*32., *tom.*3., *Cochier. in commentar. ad reg.* 47. *Cancell. num.*7., *Marant. de ordin. judic. part.*4. *tit. An sit judic. ordin. num.* 27. ibique *Foller. in addit.*, & cum aliis, quos plena manu cumulat

lat *Sperell. dec.* 106. *num.* 46. , *& seqq. tom.* 2. ibi = *Quamvis Delegatus Principis regulariter subdelegare valeat L. &c., id tamen non sibi locum vindicat, quando PER SE Causam expedire jussus fuit, juxta primum distinctionis membrum: nam verba præfata PERSONALIA sunt, & ex eis dicitur electa personæ industria, ut per Purpurat. &c. etiamsi à Principe Supremo delegatus fuerit, ut per Chochier ità Comment. ad reg.* 47. *Cancellar. num.* 7., *ubi REFERT ROTÆ DECISIONEM &c. eamdem Sententiam tenuit etiam Thoming. decis. Rotæ Lipsien.* 122. *part.* 2., *ubi inquit, delegatum à Principe cum dicta clausula æquipollere quoad subdelegandi facultatem delegato ordinarii; Et quod per hujusmodi verba censeatur electa industria personæ, itaut subdelegatio fieri nequeat, advertit etiam Marant. &c.* =, *& Rot. de Execut. lit. Apost. part.* 1. *cap.* 10. *num.* 41.

6 Nec huic communiori, & veriori se *Doctorum* opinioni refragantur Resolutiones Sac. Concilii, quia loquuntur dumtaxat in casibus solius Clausulæ = *conscientiam tuam oneramus* = minusque *Decisio in recenti la* 104. *par.* 13., exadverso citata, sivè quia hæc *Decisio* fuit *contumacialis*; sivè quia loquitur in terminis aliarum clausularum, quàm illius clausulæ = *per te* =, & licet mentio fiat etiam de hujusmodi clausula, tamen id sequitur per transennam, & perfunctoriè, sivè quia refert duntaxat opiniones *Doctorum*, sed nihil positivè super puncto controverso firmat, dum erat *impertinens* ad Causæ decisionem, prout *in fonte* ibi recognosci potest sivè demùm quia modernus *Rigant. ad Reg.* 48. *Cancell. num.* 13. in objecto allegat *dictam dec.* 104., quæ reperitur etiam *cor. Cerro in ordine la* 611., & tamen non obstante hujusmodi *Decisione* pro certo, & indubitato firmat, Delegatum à Principe non posse subdelegare, quando est electa industria Personæ ex verbis illis, seu clausula = *per te* =, videre est apud eumdem *Rigant. loc cit. num.* 16. *& seqq.*

7 Hæc omnia absque ulla vel minima difficultate procedere debent inspecta dispositione Regulæ Cancellariæ *la* 48., super qua latè sermonem habuimus *in nostra Informatione* §. 12. 13. 14. 15. *&* 16.; In illa pro solo effectu impediendi subdelegationem Vult, ac statuit Sanctitas Sua, *quod quotiescumque* (sunt Regulæ verba) *PER SIGNATURAM SUAM, vel* DE EJUS MANDATO &c. JUDEX DATUR, *Litteræ desuper expediantur cum expressione, quod idem Judex executionem faciat* PER SEIPSUM =; Et licet in Litteris, seu Brevi appellationis, de quo agitur, deficiat clausula illa = *quod procedant per seipsos* =; attamen vel adjecta censetur per æquipollens, per verba, nempè omnimodam *personalitatem* denotantia, prout sunt illa = *Discretioni vestræ mandamus, quatenus VOS, duo, aut unus VESTRUM &c. Causam, & Causas &c. COGNOSCATIS, DECIDATIS, fineque*

que debito TERMINETIS =, rectè in præcisis terminis *Rigant, ad dict. Reg, 48. num. 5,* ibi = *Et licet juxtà modernum stylum, nec etiam in Litteris in forma Dignum, & in* FORMA COMMISSARIA *expeditur, apponatur hæc clausula, quod per seipsum procedat, nihilominùs &c.* ADJECTA CENSETUR PER ÆQUIPOLLENS, *per verba nempè* PERSONALITATEM IMPORTANTIA, *quæ in iisdem leguntur &c.* =.

8 Vel in omnem pessimum casum deficientibus etiam verbis, *personalitatem* importantibus, supradicta clausula, seù expressio, *quod procedant per seipsos*, tacitè in Litteris Commissionis subintelligitur, atque uti expeditæ cum hac clausula interpretari debent, quum jam Regula apponi jubeat, quemadmodùm prosequitur idem *Rigant. loc. cit. num.* 16., cujus verba retulimus in *nostra Informatione* §. 14., & generale est principium in quacumque materia, quod pro adjectis, & expressis semper habentur Clausulæ, quæ vel de stylo solent apponi, vel ex præcepto legis apponi debebant, *Cephal. cons.* 550. *num.* 11, & 12. *tom.* 4., *Tiraquell. de Jur. Constit. limit.* 31. *num.* 9., *de Amat. dec.* 98, *num.* 34. ibi = *Hujusmodi clausulæ debent haberi pro appositis, Tiraquell, &c.* = *Barbos. tract. var. de clausul. in genere num.* 1., & *clausul.* 32. *num.* 1, & 5. ibi = *Consueta enim, quamvis omittatur, numquam censetur omissa Valasc, &c. imo habetur pro expressa, Afflict. &c.* = & *Murg. de Benef. quæst.* 3. *num.* 60. *pag.* 440.

9 Certiùs verò, & indubitantiùs Judices Commissarii per Breve in Partibus non habent facultatem subdelegandi, atque alium in sui locum subrogandi, quia quidquid sit in controversiis etiam judicialibus, quas *ex integro* Pontifices alicui in Partibus committit pro executione, vel cognitione alicujus negotii, in Causis tamen appellationum, quæ ad S. Sedem devolvuntur vigore appellationis, semper ex stylo, atque ex observantia *personaliter* commissa intelligitur cognitio istarum Causarum, ac personarum industria censetur electa, ut exemplum habemus etiam de Judicibus Commissariis hic *in Curia*, qui ad placitum Partis deputantur in Causis appellationum, prævia commissione; prout prævia *eadem* Commissione, cum iisdem verbis, ac clausulis, concepta, æquè deputantur *in Partibus* ad placitum appellantur; Undè etiam ex stylo Judices Commissarii in Partibus non possunt subdelegare, sed *uno*, vel *altero* impedito, Partes ad alterum recurrere debent; sique omnes tres Judices, quorum unusquisque separatim procedere potest, sint impediti, debent denuò expedire *aliud Breve subrogatorium* juxta praxim etiam notissimam.

10 Hæc quoad circumscriptionem Actorum, & Sententiæ Archidiaconi Judicis Subdelegati ab altero ex Judicibus Commissariis, super qua nos remittimus etiam ad ea, quæ diximus in *nostra Informatione* §. 18. & 19.; Quo verò *ad subministratio-*

tionem petitam, in hac quoque exaudiendus est Parochus Principalis, quia bonum jus Pars Adversa non controvertit, nec controvertere potest, dum nedum resultat ex duabus Sententiis Ordinarii, & Nuncii, sed etiam ex eo, quod Parochus est Creditor *certus* decimarum sive in pecunia, sive in manipulis; Paupertas autem licet impugnetur exadverso, tamen nulla adducitur contra eam probatio, quæ necessaria esset, cum quilibet nascatur nudus, immo pro parte nostra probatur maxima paupertas Parochi Principalis, dùm *in ipsa contraria Sententia* Judicis Subdelegati absolvitur ab expensis ob impossibilitatem ejusdem, ut in *nostro Summario num.* 1. *lit. L. in fin.* ibi = *Quantum verò attinet litis expensas per magnificos Parochianos erogatos* OB IMPOSSIBILITATEM RESTITUTIONIS EARUNDEM *per R. Biczinski citatum &c. ulterioribus litibus imponendo finem &c.* =.

Quare &c.

Antonius Dominicus Franci.

Interpretatio sumenda est, ne quilibet actus censeatur imprudens. in vilnen: coram
Mattheio Utae funeralis-Venz: 5. Martij 1751. No 7. §. Caeterum.
Confirmatio quaelibet, robur tantum dat confirmato absq extensione ibid No 9.
Testes ratione numeri ac muneris ac dignitatis ibid. No 12.
Testes ratione numeri ac ... non interverbit observantiam, imo vim et robur dat. ibid. No 13
Lis cepta et deserta non interverbit observantiam, imo vim et robur dat. ibid. No 13

Signatura Justitiæ
R. P. D.
M A N N E L L I
Gnesnen. Decimarum.
P R O
Ven. Ecclesia Parochiali Drusbicen., nec-
non Rev. D. Philippo Biczynski
illius Parocho.
C O N T R A
Ill. DD. Alexandram Mat. Tut., & Cur.
Filiorum Adalberti Richlovoski, Pau-
lum Sukeki, & alios Litis Consortes.

G

Responsio.

9

Typis Bernabò 1753.

Druki rzadkie

dotyczące dziejów

różnych województw polskich

20.000